

tium omnia , quæ sui juris fecissent , facturi ve essent , 1511
 ipsi in foro licerentur : licentibus partem eorum bonorum
 tertiam fisci novissimi pecunia vel sua , vel aliorum , cuius
 essent creditores , emere liceret ; si pro reliquis duabus
 partibus numerato persolvissent : eaque bona ita distracta
 si redimere priores domini voluerint , intra dies octo eo
 modo , quo empta erunt , possint : si noluerint , eæ em-
 ptiones nullum postea præjudicium patiantur , sed firmæ
 solidæque sint tota tempora .

At in Carnis Germani etiam Covoli arcem , quæ qui-
 dem nulla vi expugnari poterat , uti antea dictum est ,
 qui in ea erant se dedentibus , ceperunt . quo accepto nun-
 cio Aloisius Gradonicus Utini magistratus , magni sane ,
 sed parum muniti oppidi , relictis prædæ hostium magni
 pretii tormentis , ex eo discessit . Dein Portus Gruarius ,
 pauloque post Mota ad Liventiam flumen municipium ,
 & non longe ab eo flumine Udertium captum . quoniam
 vero earum regionum fere omnium , quæ citra Plavim
 sunt , agricolæ se in ultimas Taurisanorum collum syl-
 vas abdiderant , Galli magna cum manu eo profecti , at-
 que introrsus patefactis , viis , non parvam eorum partem
 conciderunt , magnamque armentorum pecorumque vim ,
 quam illi secum adduxerant , abstulerunt , mulieresque eo-
 rum ætate ac forma non spernenda tenuerunt . Alia autem
 ex parte a Germanis Sacilium Carnicum est captum . Ea
 re audita Patres , ut Gradiscas communirent , curam ad-
 hibuerunt , missis eo celeriter equitibus , & , quos in ur-
 be conscripserant , militibus cum centurionibus & præfe-
 ctis . quæ tamen cura nihil illis profuit . positis enim ad
 castelli muros castris , cum Germani tormentis , quæ nec
 multa nec magni ponderis habebant , eos quatere cœpisse-
 sent ; qui in eo erant se se hostibus dediderunt , cum de-
 fendere municipium parvo negotio potuissent .

Fovebantur autem Germani a plurimis Forojulianis ci-
 vibus , atque ab Antonio Saorniano quidem maxime , uno
 ex Utini principibus & nobilitate & opibus & reipublicæ
 paulo ante gratia in primis claro , qui nulla unquam la-
 cessisti

*Germani lo-
 ca multa oc-
 cupant in
 Forojulio .*

*Gradisca
 Germanis
 se dedit .*